De abusu balneorum frigidorum : disputatio inauguralis ... / auctor Carolus Ludowicus Wolff.

Contributors

Wolff, Carolus Ludowicus.

Publication/Creation

Goettingae: In Officina Barmeieriana, [1792]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/enqj3f7m

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

BALNEORVM FRIGIDORVM

DISPUTATIO INAUGURALIS

Q V A M

CONSENSV INCLYTI MEDICORVM ORDINIS

IN

PRO SVM MIS

MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

PVBLICE DEFENET


AVCTOR

CAROLVS LVDOWICVS WOLFF

LESNA - POLONVS

DIE XVII. MARTII CIOIOCCLXXXXII.

GOETTINGAE
IN OFFICINA BARMEIERIANA.



Ingenti de efficacia et salubritate balneorum srigidorum intime persuasus, non pretium eorum imminuere, sed constituendo modum et indicationes inter quas et ad tuendam sanitatem et ad sanandos morbos eis vii conuenit, viliora ea reddere eisque quae aduersarii obiiciant liberare cupio.

here has a broken serve by the

M is elementarion with

CANAL BURNESS AND ACTION

milit shall positive them a

Antiquissimis iam gentibus omni sub coelo cultis et incultis mos erat in sluuiis lauari, paruulisque vtriusque sexus tenerima iam aetate elementum familiare reddere, cui certe haud parum roboris et vigoris quae nunc admiramur tribuendum esse censeo.

Aegyptis ritus sacer ad cultum Deorum pertinens erat, sacerdotesque eorum A tanti tanti nominis morbos lauacro sanauere marino vt prouerbio suerit: Mare proluit vniuersa hominum mala: Mulieres certis temporibus in sluuiis lauari legibus tenebantur quod fertiliores inde sactas obseruatum.

Pythagoras Graeciae legislator rem publicam fecit, infantes immo pueros et puellas frigidis faepius immergere aquis; quae quanta Medici balneis frigidis praestiterint ex Hippocratis nouimus operibus a).

Romanis opprobrio erat nec natare nec legere scire, omnesque eorum Medici plurimis in morbis balnea frigida primum credidere remedium. Ab Asclepiadis ad Pauli Aeginetze vsque tempora per quadringentos ita annos in vniuerso vsu suere. Musa Asclepiadis sectator aliis remediis quibuscunque reiectis balneis frigidis solis plurimos grauissimosque sanauit morbos, vt Iulius Caesar Medicis ius civitatis non diutius recusandum putaret.

Aft and a party of the contract of the Aft

a) cf. FLOYER History of cold Bathing. London 1709. Litt. II. p. 27.

Ast quae quantaque veteres balneis frigidis praestiterint, nostris temporibus summa prudentia et cautione in eis adhibendis opus esse credo. Prisci primis ab annis vndis assueti, vitae genere simpliciori, venatione, bellis corroborati; debilitatis nervosae, sensibilitatis et irritabilitatis naturali maioris, infarctuum, aliorumque huius generis malorum vix nomina cognouerunt et sine Metu ad elementum consugêre de quo certum auxilium sperabant.

Videri quidem posset praesenti seculo quo debilitati adeo latum est dominium ve plurium morborum causa remota, cum omnibus sere complicata sit; remedium, quo essicacius nullum est quod intima penetrat vniuerso corpori robur reddit, non satis tuto et frequenter adhiberi posse: roborantia vero ita dicta non semper in debilitate conueniunt atque cum Medicus arcetur plerumque plurima iamiam inde emanauerunt mala quae antequam suerint remota balneorum frigidorum vsum contraindicant; accedit quae debilitatem saera

pius comitatur mobilitas generis neruosi tanta, vt cum de balneis frigidis audiant tantum conuulsiones timendae sint.

Hic ea tetigisse sufficiat cum indicationes aggrediar inter quas balnea frigida adhibere debeamus, diligentius constituam, quousque in mera debilitate conueniant, quas ex illis complicationibus indicationes et contraindicationes colligere debeamus.

Nunc de balneorum frigidorum virtutibus in genere quaedam praemittere liceat: Agunt abluendo immunditiem, pondere et frigore.

I. Abluendo immunditiem vasa cutanea in - et exhalantia deobstruunt, transpirationem cum hac ex causa non rite adfuerit restituunt, liberiorem reddunt.

II. Pondus aquae, quae octoginties grauior est elemento in quo viuere soliti sumus, haud parum conferre videtur; virtutes specificas tamen ei non tribuerem sed comprimendo superficiem corporis vim frigoris adstringentem tantum augere credo.

III. Frigus et excitando et roborando agit ni maiori cum diuturnitate applicetur. Tremore quo aquis frigidis immersi primum mouemur vltimae fibrillae concutiuntur, humores in vasis minimis stagnantes conquassantur vt post actioni cordis auctae facilius cedant, nerui excitantur: HVXHAM febrem artificialem esse dicit. Frigus cutem duram densam efficit, aeris vicibus eam assuefacit, ast et intima penetrat, quamlibet fibram constringit, quodlibet vas excitat; vt vniuersum ita corpus magis compactum firmius reddat. Solida cum roborantur fluida quoque densiora secernuntur; humores gastrici cum essicacius in cibos agere valeant, coctio quoque perfectior erit. Humores ex superficie corporis frigore summa vi in vasa maiora pelluntur, vis cordis irritatur, circulatio acceleratur, organa se - et excretoria excitantur, transpiratio liberior redditur. Cum tempore immersionis pulsus tardior, motus cordis minor sit; mox motus cordis augentur, corpus magis calefacit et SANCTORII

experimentis accuratissimis constat, transpirationem insensibilem et excretionem vrinae post balnea frigida augeri.

Sunt qui resorbtioni plura tribuenda censent, ast vix quid resorberi posse mihi videtur, nisi remora longiori in vase arctiori aqua tepescat et vasa cutanea iterum relaxentur, quo vero non roborari sed dedilitari corpus luculenter patet. Sitin compesci, linguam humidam sieri vaporibus humidis ex aqua surgentibus potius ascribendum puto.

Effectus balneorum frigidorum generales ita sunt: Robur cutis, corporis totius, circulatio liberior, se et excretionum summus vigor, transpiratio ita regularis atque digestionis omniumque sunctionum summa perfectio.

Quibus collectis patet prudenti balneorum frigidorum vsu multis caueri posse morbis, cum plurimi seu laxitatem, seu debilitatem, seu digestionem laesam, seu transpirationem irregularem causam praecipuam agnoscant. Ast et in statu sano non cuique conveniunt balnea frigida, summaque cum cura respiciantur habitus et status corporis in constituendis conditionibus inter quas quisque ea adhibere debeat.

Nocet vsus eorum nimis frequens quibus solida sunt rigidiora, inprimis cum dispositio morbosa iamiam inde immineat; humores magis magisque inspissantur, stases et obstructiones creantur in senibus immo marasmus. Summis vero caloribus modicus balneorum frigidorum vsus his quoque salutaris erit, roborando enim vasa exhalantia calore nimio relaxata siccitatem imminuet. Longiorem tamen caueant remoram atque aquis frigidis immersi statim exeant, ne fructus salutares quos excitando exserverit frigus adstringendo iterum aboleantur.

Laxitatis quae rigiditati opposita est balnea srigida proprium sunt remedium, breui vero mala ex ea gignuntur quae cum oculos essugiant temerarium eorum vsun non remedium salutare sed venenum reddunt. Circulatio languet in eis praecipue

partibus quibus in statu sano iam debilior est, in vasis et visceribus abdominis dico; organa quaecunque vi debita agere nequeunt, secretionibus ita non rite perfungi valent, excretiones sunt tenuiores, remanent quae eiici debuerint, humores gastrici vappidi secernuntur, transpiratio fit irregularis. Vnde oriuntur infarctus, cruditates, acrimoniae quaecunque, status viscidus pituitosus omnium humorum; quae omnia antequam fuerint remota, roborantia quaecunque balnea frigida inprimis non fanatura sed enecatura miseros sunt aegros. Cum vero iusta Diagnosi certi sumus veram laxitatem adesse, alia vitia grauiora nulla accessisse quibus prius prospici debeat, balneis frigidis primus certe est locus, inprimis cum stases prima origine vincere valeant. Nascentem ita laxitatem exslinguere conuenit; cum haereditaria est lavando tenellos mane et vesperi aqua frigida, immergendo immo totos aquis frigidis cum ferant, eidem scopo ceterum diaeta et regimen respondeant; cum acquifita est haemorragiis aliisque euacuationibus nimiis, resarciantur humores, ne alia inde enascantur mala tempestiuo balneorum frigidorum vsu caueatur; cum vero laxitas haereditaria aucta magis magisque est prima iamiam educatione, vita sedentaria, potibus calidis, soedis illis sceleribus — aliisque; malum magis complicatum balnea frigida non admittit, prius quam humores perspirabiles, vasa peruia reddita sint.

In debilitate seu languore virium vitalium balnea frigida ab autoribus adeo commendata non semper conuenire iam in praegressis dixi. Anxie materiam aggredior cui pertractandae quae quantae sint dissicultates intime persuasum habeo, sines rite constituere vbi roborantia, vbi alia omnino conueniant remedia, praecipuum in praxi est momentum, pluresque roborantibus perditos quam sanatos esse certum mihi est. Causae debilitatis inuestigandae atque remouendae sunt, quibus sublatis vigor plerumque sponte redit. Diurna experientia

monftrat debilitatem et ex fibra laxa et ex rigiditate folidorum ortum faepius trahere, tenellus matris vbera lactans et senex cui marasmus imminet ea laborare potest; mox abulu aromatum, spirituosorum, mox potibus calidis aliisque relaxantibus generatur. Non omnibus ita eadem conuenire poterunt, opposita immo saepius requiruntur. Balneis frigidis nunquam in debilitate locus est, nisi ex laxitate enata sit seu ea alatur tamen. Ast et tum non statim adhiberi queunt, eisdem cautelis quibus in laxitate opus est, maiori immo prudentia quo maior est debilitas. Balnea frigida semper vires cordis integras postulant, vt cor contra humores maiori impetu affluentes reagere, eosque versus superficiem corporis repellere possit; ni congestiones in partibus internis, omniaque quae ex his sequuntur mala oriri debeant. Lotionibus frigidis ita praeparetur corpus, frigoris gradus initio parum calorem corporis naturalem superans sensim tantum augeatur, breuisque in balneo sit remora.

De mobilitate generis neruofi maiori quae infirmitatem potius quam morbum constituit hic quoque pauca dicere liceat. Mobilitas haec, quae est organorum motus et sensus reactio in impressiones quascunque ex- et intemas maior quam in statu naturali esse deberet, debilitas neruosa dici solet, quo iure hic non constituam observare tantum liceat appellationem eam plurimis in cura erroribus materiam dare posse, debilitas enim et roborantia ideae quasi sociae sunt, quae vero saepius omnino non, rarius initio conueniunt. Status ille generis neruosi mox a rigiditate et strictura, mox a laxitate et teneritudine fibrarum pendere videtur. Illam balnea frigida omnino excludere ex praegressis patet, ast nec tum vbi fibra laxa vnica etiam causa est mobilitas gradu nimio antequam fedata fit roborantia fert; anxietas, oppressio ingens inde creantur, ab imprudenti balneorum frigidorum vsu cl. MARCARD conuulsiones fequi vidit. Vbi vero mobilitas non nimia est, fibram laxam vnicam agnoscit

causam, balnea frigida inter easdem conditiones quas de debilitate et laxitate agens exposui adhiberi poterunt.

Ingentem noxam balnea frigida inferunt quibus stases et infarctus in visceribus sunt. Humores in eis accumulantur, anxietas et oppressio summa oriuntur, obstructiones incarcerantur, vasa distenduntur debilitantur. Malum ita pertinacius redditur, mortis immo subitae quae imprudentem balneorum frigulorum vsum interdum sequitur haec concausa praecipua mihi esse videtur.

Caueant quibus pars est debilis in quam congestiones certa essent sequela, varius ita status morbosus secundum partis debilioris naturam.

Nocent quibus plethora est vera vt cor dissicilius sanguinis molem vincere possit, humores enim ex superficie corporis in vasa maiora pulsi, seu omnem tandem cordis actionem impedient, seu in partibus internis accumulati varia inde mala secundum partem prae aliis assectam orientur, apoplexia, plexia, haemoptysis, aliaque. Vbi vero alias ob causas balnea frigida indicata sunt, post plethoram venae sectione imminutam conueniunt, atque aliis cum cautionibus plurimum conserent, ne plethora nimia regeneretur.

Caveant mulieres tempore menstruationis, quae sluxu mensium nimio laborant, grauidae ad abortum pronae: sanguis maiori impetu ad vterum sertur, haemorragiae abortus creantur.

Caueant haemorrhoidarii, haemorrhoides profusas inde patiuntur, plurimisque obstructiones in visceribus abdominis sunt.

Nocent balnea frigida iis qui vitam luxuriosam mollem sedentariam agunt, quibus calor est valde debilis. Circulatio eis est languida, cordi difficile erit contra humores maiori copia assluentes reagere et cum recta valetudine gaudere videantur, raro viscera eis sint peruia.

Quibus corpora sunt teneriora praecipue cum regimini calido assueti aquam frigidam horreant, cum balneis frigidis robur insensilitatem contra vicissitudines aeris sibi conciliare possint, ne sine praepara-

Omnes hic exponere casus sines opelli non concedunt, ex sequentibus plura patebunt. Litteratis adhuc ne sine medici consilio balneis frigidis vtantur suadere liceat, quorum labores corpus et animum alacrem postulant, quae prudenti balneorum frigidorum vsu certe sibi conciliaturi sunt, imprudenti omnia in peius vertent.

Quicunque vero vitam sobriam laboriosam agunt, quibus solida non sunt rigidiora, nulla dispositio morbosa in corpore
est, alacri animo frigidis se immergant aquis,
nouo eis exce lent vigore, valetudinem sirmiorem, vitam iucundiorem sibi paraturi
sunt.

Robustioribus praeparatione non opus est, teneriores lotione tepida semper frigidiori Vêre praeparentur. Incipiente tandem Aestate die sereno calido capite immo aquis non nimis frigidis immergantur, post breuem remoram exeant atque frictionibus cuti calorem et colorem naturalem reddant.

Cum corpus valde est pallidum, post frictiones calor et color naturalis non breui redeat, nimis diu sunt morati quo nil magis est noxium. Secundum frigus qui expectant tremorem artuum, dolores capitis inde sentiunt.

Initio vnum ad duo temporis minuta sufficiunt, sensim paullo diutius morari queunt, ast plus decem minutis nunquam iis qui balneo domestico vtuntur concederem. Iuniores vero robusti qui sluviis lauantur et nando circulationem excitant, secundum vires ad horam integram immo in aquis manere poterunt. Obesi quoque minus frigore afficiuntur nec eis longior parum remora nocebit. BAYNARD iam observat moram longiorem debilitare, eleganterque cum arcu comparat cuius cum chorda diutius manserit tensa longe minores exseret vires quam cum primum fuerit tensa subito remittatur; duobus id confirmat exemplis: Vir athletici habitus per quindecim temporis minuta in aquis frigidis moratus ita riguit, vt summa tantum

cura restitui potuerit et per aliquod tempus male inde habuerit: — — Alterius venae in extremis nigrum conciliauere colorem, sanguis stagnauit; restitutus quidem est, ast per aliquot menses libero membrorum vsu priuatus suit a). Idem Vir cl. ait: Experientia me docuit plurimum balnea frigida prosecisse eis, qui bis mane cum intermissione duarum horarum semel post meridiem ventriculo vacuo subito aquis frigidis capite immo immersi sunt, statim exiere.

Caput semper immergendum esse censeo, quod nisi siat sanguis maiori impetu
in id sertur semperque dolores capitis
oriuntur, interdum mmo apoplexia inde
observata est. Qui balneo domestico vtuntur, antea id intrent pectus aqua frigida
perluant atque spongia aquae frigidae immersa caput tegant.

Tempus matutinum aliquod tempus post lectum relictum praeserendum puto, quo circulatio est placida, transpiratio vbi-

enternal and analysis est attraction wis

vis aequalis, coctio ingestorum facta; debiliores antea quid ingerant, vt cor essicacius contra humores maiori copia assluentes reagere
possit. Conuenit quoque vespertinum post
cibos digestos, cum sanguis non est agitatus: Agathinus iam observat, balnea frigida
somnum conciliare tranquillum.

Maxime nocent post agitationem nimiam vbi actio vasorum valida est, sudor emanat. Transpiratio supprimitur, motus in partibus externis cunctatur in internis crescit, inflamationes, rigor, metastases ad interna saepius letales, apoplexia immo sequuntur. Baynard exemplum pueri affert qui cum sudore manans aquis frigidis insiliret, paralysin et surditatem contraxit a).

Nocent balnea frigida quibus ventriculus cibis est refertus, circulatio impeditur, coctio turbatur, cruditates anxietas creantur.

Diaeta ceterum exacta et exercitio effectus balneorum frigidorum salutares fir-

a) cf. FLOYER l. c. p. 325.

firmandos esse, vix monitu necessa-

Morbos iam aggredior in quibus balnea frigida commendata funt. De singulis secundum systema nosologicum agere sines opelli excederet, nullum ita ordinem observans paucos praecipuos tamen nunc tractabo morbos.

In paralysi balnea frigida efficacissimum esse remedium omnes contendunt.

Ferro ait: In summa hac relaxatione neruorum vsus aquae frigidae externus omnum Medicorum, aduersariorum immo consensu celerrimam certissimam opem fert. Relaxatio nimis est luculenta quam vt distinctiones admitti possent, quaecunque etiam causa exstet certum est, systema neruosum seu vniuersum seu in parte vigore orbum esse a).

BAYNARD ait: Hemiplegiam pertinacissimum inter paralyses malum mox balneis calidis mox frigidis sanatam noui, in-

a) Vom Gebrauch der kalten Bäder. Wien 1781. p. 201.

ter-

inprimis post venaesectionem et vomitum praegressum eximios exserere vidi esseres clus, cum aeger saepius in die aquis frigidis subito immersus statum extraheretur. Exemplum affert mulierculae maxime exhaustae, quae in Iamaica hemiplegia et paroxismis partim hystericis partim epilepticis correpta, Angliam ad autorem resugit. Balnea calida omnino non tulit, frigidis restituta est quamuis primis vicibus convulsionibus afficeretur a).

Cum ita mox balnea frigida, mox calida, mox nulla opem tulerint, malum non semper idem esse patet, certumque est saepius sanaturum iri si causae diligentius distinguerentur.

Causae quaecunque ad duo reduci posfunt capita, quorum.

I. Ex compressione siue ex statu vitiato cerebri neruorumque constare cernitur.

II. De actione vis nerueae diminuta pendet.

B 2 Nunc

a) FLOYER 1. c. p. 306.

Nunc apparet cur balneorum in eodem morbo adeo varia sit ratio. Prius causarum caput quod vel ex tumoribus, congestionibus aut effusionibus enascitur omnino balnea frigida excludit, congestiones atque effusiones eis augentur immo, malum insuperabile redditur. Proprium contra remedium sunt paralyseos ex actione vis nerueae diminuta; WEBSTER ait: Frigus citatius applicatum et celeriter amotum fystema potentissime stimulat, igitur immersiones frigidae ad paralyfin curandam adhibitae, multum laudibus efferuntur. Cum aegrotans ex lauacro frigido cito emerferit, per varia febris stadia paullatim transit. Observationes innumerae docent paralysin ex vsu lauationis frigidae sanatam fuisse; praesertim si aquae ex praecipiti dispergantur aut in artus paralyticos desuperne exantlentur a). Ita BAYNARD exemplum viri aphonia laborantis affert qui alias ob caufas

a) Medicinae Praeseos Systema Rotterod. 1781. T. II. p. 209.

sas aquis frigidis immersus subito vocis vsum recuperauit a).

In paralysi ex causa sanguinea post eam sublatam, somentationes frigidae parti applicatae roborando et excitando vasa plurimum conserunt, ne recidiuet malum.

Ceterum contraindicationes in praegressis iam enumeratas semper antea esse remouendas in promtu est.

Melancholiam et Maniam sub eodem liceat tractare capite, quae etsi phaenomenis distinguantur in praxi eadem sunt.

Saeuum adeo malum omnem saepissime opem eludens balneis frigidis interdum cessit. Exempla afferunt: — Hahn b), v. Swieten c), Lazerne d), Planque e), Helmont exemplum maniaci affert

a) FLOYER l. c. p. 398.

b) Unterricht von Kraft und Wirkung des frischen Wassers 1754. p. 256.

c) Commentar. T. III. f. 1132. ait abolentur ideae.

d) Curationes Morborum. Monsp. 1750.

e) Iournal encyclopedique. Ianvier 1762.

fert qui fonti illisus ibique moratus quovsque fere extinctus esset sanus exierit; post se plures eadem sanasse methodo affirmat: Nisi quoties formidine praecociter amentes ex aquis extraheret a).

Nullibi vero indicationes distinctas inveni, remedium contra empyrice adhibitum cum morbum interdum sanauerit, saepius nulla effecit, saepius aegrum miseriorem reddidit.

Causa procatarctica semper est irritamentum mentale seu corporeum, proegumena haereditaria sit nec ne, mobilitas generis neruosi ingens esse videtur. Cum interdum laxitas debilitas seu vniuersalis seu viscerum abdominis praecipue, fundamentum morbi esse videatur; omnia plerumque phaenomena robur ingens, siccitatem, rigiditatem solidorum summam produnt, quae quantae balneorum frigidorum contraindicationes sint, ex praegressis patet. Lorry ait: Ingenti igitur arte opus est in frigidioribus illis adhibendis balneis, quae nimio-

a) FLOYER I. c. p. 179.

nimiopere celebrantur, in immersionibus capitis, in embrocationibus, ne dum roborare consilium est mors inopina succedat, vt bis accidisse vidi a).

Ast cum habitus sit laxus, debilitas praedominium habeat; causa proegumena suisse videatur, post causam procatarcticam sublatam, turbam neruorum antispasmodicis sedatam, balneis frigidis vnice locus est. Summa quoque efficient in mania quam cl. Sydenham ex febribus intermittentibus ortam observauit, cum venaesectio et drastica intempestiue adhibita fuerint.

Indicationem haud spernendam iuuantia et nocentia etiam exhibent, semper tamen caute remedium adeo efficax adhibeatur, caueaturque ne mania errabunda attonita eo reddatur,

Tetano, ad quem Trismum, Emprosthotonum, Opisthotonum refero, olim semper sere letali saepius nunc mederi va-

a) De Melancholia et morbls melancholicis. Lut. Parif. 1765. T. II. p. 366.

lemus. Cum de causis certi nondum quid constet, observationes conditiones inter quas oritur nos edocuere causae accessoriae plurimum tribuendum eique remedia essima opponenda esse. Causa procatarctica frequentissima est laesso partium neruosarum tendinosarum, vulnus exiguum praecipue digitorum pedum et manuum, cui tertia quarta hebdomade tetanus accedit; saepius vero nulla saepe omnino aliae observatae sunt.

Num semper iure eiusmodi vulneri tetanum tribuerint indagare hic loci non conuenit, observare tantum liceat curam vulneris aptissimam, amputationem immo, nulla saepius effecisse.

Ast cum in climatibus calidissimis prae aliis observetur, iis praecipue anni temporibus quibus die calor ingens noctes frigidiores sunt; nonne iure argumentamur, mobilitatem generis neruosi maiorem seu per se seu cum transpiratione supressa in culpa esse, inprimis cum medendi methodus egregic hisce respondeat. In eo omnis diffi-

difficultas vnice latere videtur, quod cuique autorum sua praecipue sit methodus, nullusque rite distinxerit, num laxitas seu strictura sibrarum mobilitati illi sociata sit.

WHITE a) exemplum tetani enarrat, qui cum aliis remediis quibuscunque restitisset opio dosi audacissima (Grana 317 aeger in quinque hebdomadibus consumsit): et balneis calidis cessit; pluresque se eadem sanasse methodo affirmat.

CHALMERS b) post venaesectionem praemissam vbi aeger plethoricus est, de balneorum calidorum et opiatorum liberali vsu vnice salutem sperat, simul clismata et somentationes emollientes adhubere iubet.

Rvsh c) opium saepe inessicax inuenit, cortice peruuiano et vino dosi in-B 5 genti

- a) Cases in Surgery Lond. 1770. Vol. I.
- b) Of the Opisthotonos and Tetanus in medical Observat and Inqur. Vol. I. Lond.
- by Duncan Decade second. Vol. I. Edinburg 1787.

genti plurimos sanauit. Cort. per. 3jjj Vin. gener. Pint jjj quotidie consumenda iubet.

WRIGHT a) in Iamaica tum medicinam faciens ait. Nunquam balnea frigida frustra adhibui celerrimum certissimum auxilium ferre semper inueni; quod sex confirmat cafibus. Quorum in primo tetanus cum opisthotono, omnibus remediis opio immo resistens, aquae frigidae solae qua autor aegrum omni quadrihorio superfundi iussit paucis diebus cessit, post frictiones corpus semper modice incaluit. Caeteris in casibus opium seu cortex peruuianus cum asa foetida simul adhibita sunt, semper tamen balnea frigida remedium primarium fuerunt. Regimen simul et diaetam frigidam imperauit.

Observandum est Wright in sex — nouem diebus semper curam absoluisse cum cae-

a) On the Vse of cold bathing in the locked Iaw in Med. Obs. and Inqu. Vol. VI. Lond. 1784.

caeteris tres — quinque hebdomadibus opus fuerit.

Quibus collectis patet: Balnea frigida primum vnicum esse remedium, vbi relaxatio corporis causa proegumena suisse videatur; mox corticem perunianum cum asa soetida et vino, mox opium addi debere, prout, seu debilitas ex sibra laxa, seu mobilitas systematis neruosi praedominium habeat. Vbi suspicio adest transpirationem supressam concausam esse, frictionibus et cardiaco quoties aeger aquis frigidis immersus est diaphoresis restituatur.

Methodum cl. WHITE contra anteponendam puto, cum ficcitas, strictura fibrarum seu per se seu cum transpiratione supressa in culpa esse videantur.

Prima caeterum tentamina docebunt, quae praeferenda sit methodus. Cum balnea calida aliaque antispasmodica diaphoretica nulla efficiant, malum immo ingravescant, confestim roborantia excitantia inprimis balnea frigida in auxilium arcesfenda esse puto.

Num

Num in spasino maxillae neonatorum balnea frigida conueniant? Bayon a) nullum se sanatum vidisse ait. Barrêre b) contra plures balneis frigidis restitui affirmat. Chalmers c) infantem balneis calidis, clismatibus emollientibus et Mixtura ex Infus. Rad. Rhab., Mosch. et Ol. Tart. p. deliqu. sanauit.

In Hysteria et Hypochondria sines rite constituere, quibus et quo tempore balnea frigida conueniant, longe vires superat meas. Medendi methodus inualuit qua malum, omni sub forma omnibus modis miseros excrucians aegros, pertinacius insanabile immo redditur. Mobilitatem generis neruosi maiorem, debilitatem neruosam dicunt, roborantia adstringentia ei opponunt, statum ita irritatum ingentem in gradum attollunt atque causam procatarcticam quae plerumque in abdomine latet insu-

a) Memoires de Cayenne 1777.

b) Sammlung aller Reisen zu Wasser und zu Lande. 16. B. p. 363.

e) l. c. p. 109.

insuperabilem reddunt. Clarissimi quidem viri Tissot, Zimmermann, Marcard noxas huius methodi grauiter ostendêre, indicationes inter quas roborantia conueniant exposuere, ast cum ea omnibus cognita sint seu tamen esse debeant, plurimi contrarium faciunt. Haec causa est cur theoria cl. Pomme de induratione neruorum ("Racornissement des Nerfs.") tanto fauore accepta est, cum medendi methodum ei superstructam plurimis conuenire observauerint.

Causae Mali funt.

I. Mobilitas systematis neruosi maior, quae interdum vnica semper tamen causa proegumena est.

II. Irritatio occulta.

Omnis difficultas in medendo morbo versatur in rite tractanda mobilitate illa maiori, quae seu ex laxitate et teneritudine, seu ex siccitate et strictura fibrarum enasci videtur.

Remedium cuius virtutes praecipuae exficcantes adstringentes sunt, malum quod a strictura fibrarum pendeat non sanaturum fed aucturum esse vix monitu necessarium est. Ast nec tum vbi mobilitas illa fibram laxam vnicam agnofcat caufam, cum maiori adfit gradu roborantia conueniunt, irritant miseros aegros, spasmos anxietatem ingentem creant a). Vtut absonum videatur prima semper est indicatio, antispasmodicis relaxantibus, balneis calidis, aliisque turbam neruorum sedare, dein irritatio cum adest remouenda, tandem gradatim ad roborantia transire conuenit inter quae

a) MARCARD Beschreibungen von Pyrmont B II. p. 117. sagt. Vielmahl habe ich Kraempse und grausame Angst auf den indiscreten Gebrauch stärkender Mittel gesehen, von kalten Bädern zur Unzeit sahe ich Conuulsionen vor meinen Augen, und ich habe nicht zu viel gesagt wenn ich irgend wo behaupte man könne manche schwache hypochondristen zur Verzweislung bringen, blos durch hartnäckig fortgesetzten Gebrauch stärkender Mittel.

quae balnea frigida plurimum certe efficiunt. Initio tamen temperatura aquae parum calorem corpori naturalem frigore superet, sensim sensimque frigoris gradus augeatur.

Vbi vero relaxatio vnica morbi causa, mobilitas non nimia est, cum nullae contraindicationes exstent, viscera peruia sint, roborantia primum vnicum remedium sunt. Balnea frigida tamen semper caute adhibenda, lotionibus frigidis corpus praeparetur, frigoris gradus sensim tantum augeatur.

Epilepsia et Chorea Sancti Viti easdem agnoscunt causas quas hysteria et hypochondria: mobilitatem generis neruosi maiorem et irritamentum; inter easdem itaque conditiones balnea frigida conueniunt. Ast cum hisce morbis iuniores praecipue laborant vbi causa proegumena semper sibra laxa, irritamentum leuius est, balnea frigida saepius ac citius adhiberi poterunt.

In Rheumatismo omnes de balneis frigidis autores summis ea laudibus extollunt. Cum vero et naturam morbi et virtutes remedii perpendamus, facile patet, remedium sub certis conditionibus praestantissimum, sub aliis in eodem morbo corpus omnino destructurum esse.

Character Rheumatismi inprimis chronici, cum de acuto hic sermo esse non
potest, est; acrimonia quaecunque in systemate lymphatico retenta, saepius visciditas inde in humoribus eo maior quo magis est inueteratus, vnde morbus semper
idem variam tamen sormam induens se
cundum partis prae aliis assectae naturam.

FLOYER ait: Ex plurimis noui casibus balnea frigida Rheumatismo mederi, pellendo materiam in artubus stagnantem in massam humorum, vnde sudore euacuantur; sudore semper opus est a). Quod cum in singulis contigerit casibus vbi vires naturae validae suerint anceps semper est remedium; cum vires langueant, visciditas humorum, infarctus viscerum abdominis, aliaque naturae obstaculo sint vt diaphoresin liberam mouere non valeat,

refugit materia rheumatica, metastases ad partes nobiliores oriuntur, vnde: cardialgia, colica, peripneumonia notha phtisis ex hac pituitosa observata sunt. Bergivs observat. Cum balneis frigidis rheumatismi saepius sublati sint, pluribus tamen exemplis constat, materiam rheumaticam in alias translatam esse partes, grauioresque ibi excitasse noxas a).

Omnes caeterum testantur cum quid effecerint balnea frigida, diaphoresin vniversalem, sudorem partis affectae ea secutum esse; frictionibus ita, diaphoreticis cardiacis semper haec crisis est adiuuanda.

Morbo vero sublato remedium efficacius exstat nullum, ad dispositionem illam
rheumaticam exstinguendam, qua inprimis vitae molli, regimini calido assueti
continuo laborant. Balnea frigida aeris vicibus eos assuefaciunt, organa quaecunque
robo-

a) Abhandlung von den kalten Bädern. Stettin 1777 p. 108.

roborant, circulationem reddunt alacriorem; humores ita perspirabiles secernuntur, diaphoresis restituitur. Baynard iam obseruat: Balnea frigida plurimum post calida praegressa essiciunt. Humores frigidi tenaces balneis frigidis remoueri nequeunt, incarcerantur potius, cum vero balneis calidis mobiles sacti et sudore euacuati sunt, frigida egregia praestant ad roborandos musculos et neruos. Saepius vidi nec frigida nec calida quid essecisse nisi successive adhibita a).

Cum debilitas atrophia in parte prae aliis affecta remanserint, balnea stillatitia prae aliis conueniunt.

In Arthritide chronica fixa inter plurimos alios — Pietsch b) grauiter balnea frigida commendat, nec materiam eis repelli sed resorberi credit. Rationi et experientiae repugnare ait, aquam frigidam materiam

a) FLOYER 1. c. p. 321.

b) Wahre Quelle und Ursache des Podagra. Halle 1772.

riam peccantem ad interna repellere; nullo ita discrimine in affectibus rheumaticis, arthriticis, erysipelaceis immo semper eam adhibuit, nec vnquam mala inde enata esse proprio opere quinquaginta casibus confirmauit.

Negare quidem non ausus sum, paroxismum interdum subito balneis frigidis sublatum esse, plurima vero exempla exstant aegros iis per totam vitam miserrimos redditos, enecatos immo esse.

Podagra quam hic exemplo sumere liceat metastasis est salutaris, quae cum turbatur in massam humorum repellitur materia arthritica atque in partes nobiliores transfertur. BERGIVS monet nec in paroxismo arthritico nec in rheumatico balneis frigidis vti, semper timendum esse dicit, ne materia in alias transferatur partes, vbi ne vita periclitetur simptomata grauiora semper oriuntur a).

2 Pri

Primis quidem tentaminibus vbi natura vigore gaudeat, materiam ex massa humorum aliis excernere viis, exitus bonus effe potest; ast cum vires langueant, aeger aetate ingrauescente seu aliis causis debilitatus est, cum circulatio per abdomen non omnino libera naturae obstaculo sit, ingentes noxae inde observatae sunt. Clar. STROMEYER, Praeceptor ad cineres vsque gratissimo animo mihi colendus, obseruavit nunquam posthaec crisin salutarem ad pedes secutam, gonagram, chiragram ortam esse, et cum natura non valuerit materiam ad partes externas pellere, palpitationem cordis, asthma, hydrothoracem, hydropem ascitem, aliaque:

Schwerdtner exemplum viri affert qui bis pediluuio frigido paroxismo podagrico liberatus, tertia vice idem remedium tentans subita morte punitus est a).

Quo

a) Medicina vere vniuersalis T. I. p. 108 in Nota.

Quo molestior vero est morbus, quo maius periculum ex anomalia arthritica immineat, eo maiori cura innitendum ne recidiuet malum. BERGIVS eodem loco quo supra ait: Qui in internallis balneis frigidis vtuntur summam inde vtilitatem experientur, corpus roboratur, diaphoresis resituitur, pluresque in perpetuum eis arthritide liberatos noui. Varias theorias cum mittamus certum est, debilitatem, viscerum abdominis praecipue causam proegumenam esse, omnes ita paroxismo sublato roborantia exhibent, inter quae ob causas tantopere iam repetitas saluis caeterum contraindicationibus, balneis frigidis primus certe est locus.

In Catharro quem alii omni periculo carentem, alii magis mortiferum quam pestem credunt, MVDGE vapores emollientes calidos qua specificum commendat, MONETA contra frigus vnicum praestantissimum esse remedium contendit.

Quantum sententiae clarissimorum virorum absonae esse videantur, facile tamen qui causas et decursum morbi perpendit eas conciliare poterit.

Negligitur plerumque morbus specie leuis, raro praedispositio respicitur, materia peccante pulmones liberare decoctis, vaporibus calidis omni opera enituntur, pulmones ita magis magisque relaxant, humores ad eos attrahunt quousque phtisis pituitosa exulcerata tandem miserum absumat aegrum.

Causae praedisponentes sunt: Laxitas pulmonum, tubercula in eis, desuetudo aeris, debilitas seu corporis vniuersi seu organorum digestionis vnde tenacitas in humoribus, circulatio languida; transpiratio ita impersecta. Tissor ait: Ad catharros dispositi sunt, quibus transpiratio facile supprimitur, qui debilitate ventriculi seu pulmonum laborant a).

Caula

a) Auis au Peuple. Lausanne 1789 p. 157.

Causa procatarctica semper est subita aeris vicissitudo.

- 1) Calor subito in corpus frigidum agens. Contractio tum praegressa, subitae relaxationi cedit, earum inprimis partium in quas aer proxime agit.
- 2) Refrigerium. Transpiratio ita supressa seu topica seu alius partis, ex qua metastasi materia ad pulmones transfertur.

Febre ita cum adsit sublata remediis causae oppositis praesens catharrus removeatur, dispositio illa deleatur.

Lotiones frigidae pectoris, diaeta et regimen frigidum, omnia in integrum restituunt vbi calor subito in corpus frigidum agens seu aer calidus humidus diu perseuerans causa morbi fuerit, phtisi pituitosae cavent vbi expectoratio nimis est copiosa et diuturna, dispositionem illam catharrosam delent cum laxitas pulmonum causa proegumena fuerit.

Balnea frigida contra morbo durante femper nocent, humores vi maiori ad pulmones pellunt, et cum pulmones simul

August .

fint laxi haemoptyfis omniaque quae ex hac redundant mala certa essent sequela. Morbo vero sublato, pulmonibus integris, rite roboratis, saluis aliis contraindicationibus ex praegressis iam cognitis egregia praestant vbi desuetudo aeris, seu debilitas vniuersalis seu organorum digestionis continuis recidiuis materiam praebeant.

Rachitis remedia aptissima postulat, cum morbus seu hereditarius, seu prima iamiam educatione acquisitus ni mortem maturet, vestigia per totam vitam relinquat.

Causa praedisponens est debilitas vniuersalis ingens, prophilacticum certissimum
aliis cum praeceptis diaeteticis balnea frigida esse, omnes consentiunt. Num vero
in morbo ipso balnea frigida, ab Anglis
inprimis adeo commendata, statim conueniant valde dubito. Characterem morbi
constituunt plura, ex debilitate ea, enata
mala; spissitudo frigida pituitosa et acrimonia a materia transpirabili retenta in
humoribus; obstructiones glandularum me-

fenterii et viscerum abdominalium; impuritas primarum viarum, inprimis acor quo omnes fere laborant, vnde voracitas quae malum magis magisque ingrauescit. Quantae etiam autoritates contrarii exstent, persuadere mihi non possum remedium salutare esse, quod; dum humores in vasa obstructa pellat, obstructiones reddit pertinaciores; cum vasis toni aliquid conciliet, pituitam illam inertem magis semper incarcerat: quod congestiones in pectore et capite concitat, anxietatem creat, suffocationem minatur, cum circulatio non libera sit, cor reactioni contra humores maiori copia affluentes vix par esse possit.

Primis viis expurgatis, pituita resoluta secundum indicationes sursum et deorsum euacuata, glandulis et visceribus peruiis redditis, roborantibus demum est locus. Nunc remedium exoptatum est quod, debilitatem illam cuique sibrillae impressam deleat, digestioni, vniuerso corpori robur reddat; quae omnia balnea frigida cer-

adhibeantur, corpus vt ea ferat lotionibus frigidis praeparatum sit. Cum paruuli post balnea frigida languidi maesti frigore horreant, aluus obstructa sit et deiiectiones societant, sebris accedere videatur, proferenda adhuc sunt.

Tabis dorsualis cum plurimae exstare possint causae debilitantes, frequentissima est immodica liquoris seminalis iactura; de qua hic praecipue agam. Liquidi huius dignitas est tanta, vt monente iam Galeno semi vncia eius amissa maiorem viribus inferat labem, quam quadraginta vnciarum sanguinis detractio. Quod si vltra modum profundatur, quanta inde sequantur mala cl. Tissor paucis verbis elegantissime dixit: Testantur omnes eandem morborum congeriem; ventriculi debilitatem, coctionum deprauationem, cruditatum congestionem, nutritionis desectum, dolores hystericos, rheumaticos, arthriticos, perit robur, deletur iuuentutis imago, facies inducitur et debilitas senilis a).

Victis contraindicationibus quas ad naufeam iam repetii, restat vnica indicatio roborandi. Difficultas vero in debilitate ex venere augetur impossibilitate in vsum revocandi remedia ea, quae in aliis debilibus citius paucis reliquis viribus parere monstrauit observatio; dum enim stimulant eas partes quas sopire conamur magis damni sic inducunt ratione succedentis euacuationis spermaticae immo et venerearum cogitationum quam boni ratione transennalis roborationis. Sollicite ergo vitanda quae vel leuiori stimulo agant b). Semper votis Viri illustris responderunt cortex peruuianus et balnea frigida; haec inprimis omnibus aliis remediis longe praeferenda censet, cum eorum effectus longe minus

a) De Febribus biliosis et de Manustupra tione. Lausannae 1790. p. 151.

b) TISSOT l. c. p. 186.

minus nitantur vi aegri quam effectus plerorumque aliorum remediorum.

BAYNARD affirmat se plus viginti casibus, aegros debilitate penis, erectione perdita laborantes, cum malum iam annos durasset, corpus exhaustum, circulatio languida esset, balneis frigidis omnino restitutos, potentissimos redditos vidisse a).

Fluor albus aliaeque Excretiones pituistosae, inter plurimas alias causas, praeter laxitatem topicam interdum a debilitate vniuersali et pituita inde in humoribus generata oriuntur. Causa morbi indicationes monstrat, pituita resoluta balnea frigida inter easdem conditiones conueniunt, inter quas in caeteris morbis ex debilitate ortis Cauendum tamen, ne cum aliae exstent causae balnea frigida adhibeantur: causa frequens infarctus viscerum sunt qui quantum ea contraindicent ex praegraessis patet.

a) FLOYER I. c. p. 254.

THESES.

- I. Morbi neruosi a sibra laxa ortum ducentes, vix vnquam statim roborantia ferunt.
- II. Balnea frigida proprium remedium sunt, ad dispositionem illam rheumaticam qua nonnulli continuo laborant exstinguendam.
- III. Depressio Catarastae extrastioni longe est praeserenda.
- IV. Dispositio ad Catharros saepius in organis concoctionis latet.
- V. Fomentationes frigidae abdomini applicatae, in Haemorrhagia vteri semper fere nocent.
- VI. In Paroxismo arthritico seu rheumatico balnea frigida et fomentationes frigidae nunquam conveniunt.

- VII. Pathologia humoralis omnino est re-
- VIII. Cum in Angina inflamatoria periculum suffocationis immineat, Bronchotomia non vltimum sed primum remedium esse deberet.
- IX. Causa frequentissima Febris Puerperarum, sunt sordes putridae in intestinis.
- X. Purpura semper fere est morbus simptomaticus et factitius.
- XI. Placentae solutio non semper suscipienda, sed potissimum naturae viribus relinquenda est; nisi necessitas solutionem postulat.
- XII. Plurimi morbi haereditarii a debilitate ortum ducunt.
- XIII. Ignominia qua extra matrimonium parientes afficiuntur, plus damni quam vtilitatis affert.

